



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivm S. Calixti Pape & Sociorum eius: Ex eo quod est apud V. P. Laur.
Surium: Passus est anno Domini 226. Iuliano & Chrip. Coss. cùm sedisset
annos 5. mensem 1. & dies 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

lit: vbi gloriosa eorum merita crebris miraculis egregiè coruscant.

MARTYRIUM S. CALIXTI PAPAE, & Sociorum eius : Ex eo quod est apud V. P. Laur. Surium: Passus est anno Domini 226. Iuliano & Crisp. Coss. Cum sedisset annos 5. mensi 1. & dies 12.

Vide Tom. 2. Annal. G. Baron. & Notat. in Martyrol. Roman.

TEMPORIBVS a Alexandri Imperatoris, misso diuinitus incendio pars Capitolij concremata est, & intrà Iouis templum, sinistra aureæ statuæ ipsius Iouis, in liquorem humi resoluta. Ea re permoti aruspices & sacerdotes ad Imperatorem Alexandrū venere, vt irata deorum, quemadmodū ei persuadebant, numina sacrificijs & odoribus placari curaret. Annuit ille petitioni eorum, iussitque augusta & splendida admodum instrui sacrificia, quibus sacerdotes, pro voto, dijs satisfacerent. Illi verò die Iouis manè, aère mirè sereno, fanum ingressi, inter sacrificia (erāt vero quatuor numero) fulmine cœlitus eiecto, miserè extincti sunt: araque Iouis incendio absumpta; nubilus ac tenebricosus repente aër Romanam plebem extrà Urbis muros in effusam fugam cōpulit, & animos omnium ingenti terrore cōpleuit. Cumque huc illuc vagabundi discurrerent, quidā trans Tyberim in urbē Rauenatiū delati, audierunt in quodā templi cœnaculo psallentiū multitudinem Christianorum: inter quos Calixtus vrbis Episcop⁹ cū suo Clero fuisse perhibetur. Quod, quidam Consulū Palmatus nomine, simulac̄ intellexit, cōfessum

14. Octob. a Anno eius Imperij 3.

Idolorum sacerdotum caelesti fulmine occiduntur.

Baronius
 hec Acta in
 eo corrigenda
 dicit, quod
 nullam exci-
 tationem sub
 Alexandro
 in Ecclesia
 persecutionē
 antiqui Chri-
 stianorum
 rerum scri-
 ptores asse-
 rant. *Annal.*
Tom. 2. an-
no Christi
226. Calisti
Papae 6. Ale-
xandri Imper.
3. sed excita-
tas has mar-
tyrum cla-
des à Turis
illis consul-
tissimis, qui-
bis urbis cu-
ra fuerat de-
mandata:
quorum præ-
cipuum archi-
tectus erat, Domitius Ulpianus præfectus, Christianorum
persecutor acerrimus. Quidquid verò hi faciebant; Impera-
toris nomine atque auctoritate se egisse iactabant. Unde et
ea que in his actis dicuntur ab Alexandro vel eo iubente
perpetrata esse, ab iisdem I. C. vel Præfectis acta esse, sic
ant (secundùm Baron) accipienda.

stim eos apud Imperatorem Alexandrum ac-
 culavit: afferens insignem illam accepti nuper
 infortunij cladem eorum potissimum incanta-
 tionibus accidisse. Quo audito, Alexander: Ac-
 cipe, inquit, potestatem, & quoscumque inue-
 neris Christianos, aut ad sacrificandum dijs eos
 cogito, aut certè exquisitis tormentis ad inter-
 necionem affligito.

Ea fretus potestate Palmatus, mox cum in-
 structa militum manu Tyberim transmisit, ut
 sacrum illum Christianorum gregem, cui Ca-
 lixtus Pótifex cum Calepodio presbytero præ-
 erat, vinctum abduceret, ac tormentis pro sua
 libidine affligeret. Et quidem milites decem
 præcipiti furore in coenaculum irruentes, ut
 suam in eos explerent sæuitiam, subito cæcita-
 te percussi sunt: profus ut palpantes in tene-
 bris, re infecta, de cœnaculo egredieretur. Quos
 ut vidit Palmatus, ingenti timore perterritus,
 fugiens eadem narrauit Alexandro, qui Chri-
 sti potentiam magicis artibus ascribere nõ est
 veritus. Cui Palmatus: Si magicis artibus hæc
 gesta sunt, excitentur deorum nostrorum vir-
 tutes sacrificijs, nè omnis populus simili tan-
 dem clade affligatur. Nec mora: Imperator
 Romanos omnes edicto ad Capitolium cõuo-
 cans, Mercurio præcepit certatim immolari;
 morte cunctis proposita qui Mercurij die in æ-

dibus

dibus suis latitare inuenirentur. Statuto igitur die adest omnis populus: inter quos Palmatius cum sua familia primas tenens, porcos & vitulos oblaturus constitit.

Cumque inter magnam pecudum stragem sacerdotes decantandis sedulo carminibus cum sanguinis effusione vacarent, virgo templi Iuliana nomine, arrepta a dæmone exclamauit: Deus Calixti viuis & verus est Deus, qui Re-

*Dæmoniacæ
confitetur
Christum.*

publicæ vestræ pollutionibus grauiter offensus conteret Regem vestrum mortalem, quod tanta animorum pertinacia veritatem respuitis.

Ad hanc vocem morus mirabiliter Palmatius; illico, transmissis Tyberi, ingressus est istud Christianorum cœnaculum: in quo S. Pontifex cum suis pietati vacabat. Moxque pedibus illius prostratus pura ac sincera fide Christum Iesum confitens, sacro petijt expiari lauacro: orans atque obsecrans vt a dæmonum cultura precibus illius liberaretur. Calixtus hortante maxime

*Palmatius
credit.*

Calepodio, indicto vnus diei ieiunio, catechezi eum confestim instruxit, positumque in peluim, a pristinis vitæ delictis, sacro latice ritè expiauit. Secuta est eum protinùs vxor, totaque familia, filij, ac alij promiscui sexus numero quadraginta: qui Palmatij vestigijs preclare insistentes perceptam fidei virtutè egregijs precibus declararunt. Palmatius verò omnes suas facultates pauperibus distribuit, cunctosque Christianos pietatis ergò latitantes mirificè suis bonis recreauit.

*Baptizatur
cum vxore
& familia.*

Dat sua pauperibus.

Interea post dies duos & triginta, eximia illius pietate atque virtute longè lateque vagante, Torquatus tribunus vincitum eum in custodiam dicit.

*Palmatius
vincitum ducitur
ad tribunal
Alexandri.*

diam dedit, & catenis foedatum imò ornatum Alexandro exhibuit. Imperator, viso illo, Palmati, inquit, siccinè, relictis dijs, mortalem hominem colere iuuat? Illo verò nihil respòdente, rursus Alexander: Loquere, inquit, omni postposito timore, fiducialiter. Tum Palmatius: Si libertas loquendi datur, loquimur veritatem. Et Alexander; Loquere, inquit, excepta tamen deorum iniuria. Respondit Palmatius. An dij tibi dicendi videntur, qui mortaliū manib. facti, neq; audire, neq; fari queūt? Sed obsecro te, vt Deo tuo dicas, vt mihi loquatur: Quod si factum fuerit, nò recuso diuinis illis decernere honores. Dicit ei Alexander: Tu qui à cunabilis deos adorasti, qua nunc temeritate eos relinquis? Respòdit Palmatius: Equidem in foelix profundis adhuc ignorantie inuolutus tenebris, hoc feci; nunc verò Christi lumine misericorditer illustratus, veritatē cognoui. Hinc deprecor Christum Dominum, vt ignorantiam veniam tribuat, & ad cognitionem sui nominis clariorem perducatur. His auditis subridens Alexander, eum cuidā Senatori Simplicio nomine tradidit, vt suis blāditijs ad deorum culturam reuocaret.

*Palmatius
demonstrat
Idolorū vanitatem.*

*Traditur
Simplicio
Senatori e-
studiendum.*

*Vacat ope-
ribus iustitiæ
vir sanctus.*

Simplicius igitur Palmatium omni cum humanitate excipiens, preciosis vestibus nobiliter indutū, duxit in domum suā: præcipiens vxori ac maioribus familiæ suæ, vt omnem domū Palmatius in sua potestate haberet. Tunc ille ieiunijs, orationibus, ac vigilijs insistens, non cessabat Christi misericordiam & pristini erroris veniam deprecari. Eodem tempore quidam, Felix nomine, ad eum supplex venit;

vxori

uxori annos continuò quatuor paralyfi laboranti sanitatem postulaturus . Quem Palmatius ad pedes suos prostratum vt vidit , motus misericordia in faciè ruit, fufisque lachrymis, pro salute Blandæ (hoc namque uxori Felicis nomen erat) Domini misericordiam deprecari cœpit.

Eo autem precibus adhuc incumbente, Blanda suis ipsa pedibus sana prorsus & incolumis aduenit, domumq; Senatoris Simplicij intrans humiliter baptismum flagitauit. Et quidem accitus ilicò à Palmatio Calixtus, Felicem cum coniuge Blanda baptismate lustrauit : & Simplicij eodem permotus miraculo eandem Christi gratiam, cum familia sua promiscui sexus sexaginta octo, fidei calore incensus percepit. Ea res vt Imperatori Alexando innotuit, mox manipulum militù ad Simplicij domum misit: qui protinus cunctos sacro fonte lustratos comprehensos, ex sententia Imperatoris, gladio obruncarunt. Inter eos beatus quoque Calepodius martyrij corona redimitus p gladium ad superos concessit : cuius corpus Calixtus Pontifex linteaminibus inuolutum & aromatibus conditum, cum hymnis & laudibus in cœmeterio sepeliuit.

Porro Calixtus vt laborantibus Ecclesiæ membris adhuc consuleret, rursus transmissio Tybere, in ædibus Pontiani iuxta Urbem Rauenennatum ad studia orationis redijt: vbi, misso occultè ab Alexandro milite, iniecta ei vincula fuère. Et vt eius constantia frangeretur, omni alimonia subtracta, diebus quinque dira fame cruciatus fuit : cum ille interim pane cœle-

Precibus Palmatij Blanda paralytica sanatur.

S. Calixtus baptizat domum Felicis & Simplicij: qui oēs cum SS. Palmatio & Calepodio obruncantur.

*Cruciatur
fame Calix-
tus Episcop^o
& fustibus
ceditur.*

cælestis verbi animum mentemq; pasceret, & indies magis confortaretur. Indè fustibus quotidie cæsus, cum iam longo carceris squalore esset maceratus, nocte quadam, B. Calepodius ei adstitit, eiusque animum futura sempiternæ retributionis mercede mirum in modum roboravit.

*Priuatus mi-
les martyr.*

Inter hæc miles quidam nomine Priuatus vlceribus ac doloribus plenus, qui eodem in carcere vinctus tenebatur, lachrymabundus ad eum accessit, vt precib. suis dolores depelleret: & sanitatem in Christi nomine cõferret. Calixtus conuersione militis & fide gauisus, licò eum sacro latice lustrauit, & omnem doloris vlcerumque vim simul depulit. Quibus auditis, Alexander iracundia plenus, missis apparitoribus, Priuatum ad necem vsque plum- batis cædi mandauit: Calixtum verò è fenestra

*Dicitur ad-
huc ex stare
puteum, in
quem S. Ca-
lixus est
demersus.*

domus præcipitari, ligatoque ad collum eius saxo, in puteum demergi: & ingenti ruderum cumulo tumulari. Elapsis verò septem & decè, à peractò martyrio, diebus, quidã ex eius presbyteris Asterius nomine, noctu cum Clero adueniens sacrum Pontificis corpus eruit, atque in cœmiterio Calepodij via Aurelia pridie Idus Octobris sepeliuit. Indè post dies sex Asterius tentus iussu Alexãdri, & per pontem præcipitatus gloriosam martyrij coronam pa-

*Asterius
presbyter
martyr.*

riter adeptus est: cuius corpus in Hostia inuentum, in eadem ciuitate Hostiensi quartodecimo Kalend. Nouembr. conditum est.

VITA